



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Commendatio dulcedinis cælestis, quæ est in Christo. 17

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

humanam consolationem, cum diuinam nondum idonei sint perfectè capere, consumentur tædio, & affligentur plustquam oportet, nescientes viam fortium imitari. Tu autem ascende modicum altiùs, & sic compatere aliis, vt imitari tamen eorum infirma non velis. Strictiora tamen & grauiora, quàm portare sufficias, non approbo; sed secundùm facultatem tuam, secretum & solitudinem, vt religiosiùs vaces, propono.

Infirmorū  
habeatur  
ratio, quo  
ad solatia  
pertinet,

## 14. Signa deuotorum.

**B**onum signum deuotionis est, cellam amare, vel alterum locum aptum ad vacandum Deo expetere, ne impediatur spiritus in oratione vel meditatione cælesti. Amabilis talis vita, non onerosa. Siquidē deuotis mentibus omnis locus secretus aptus & placidus, & omne tempus breue ad exercitia spiritualia.

Spiritualis  
homo se-  
cessum  
amat.

## 15. Tentationes deuotorum.

**F**orte aliter interdū sæpè experiuntur: & eis quælibet dulcia & leuia, in amaritudinem & tædiū vertuntur. Cum ergo talia superueniunt, non idcirco priora bona postponere debent: nec putare quòd Deo displiceat propositum sanctum: sed cogitare quàm utile sit, vt quandoque parum tribulentur, & probentur à spiritibus malignis, & sic per patientiã fructus bonos afferant. Admonentur per hæc quoque, de cætero fieri solictiores ad tolerantiam aduersitatum, quia non tantum in quiete, sed etiam in tribulationibus & tentationibus, Deum diligere & laudare, gloriosior profectò via perfectionis est ad eternam vitam.

## 16. Reprobatio temporalis solatij.

**Q**uid potest boni conferre homini, breue & inane foris solatium? Aut quid, postposito creatore, capietur de creatura iucunditatis? Nisi per creaturam quærat ascendere ad conditorem, laborabit, nec satiabitur anima eius. De consensu, creatoris ad amandum creaturas exire licet, de sensu verò carnis at- trahere delectationem, vetitum est spiritui.

## 17. Commendatio dulcedinis cælestis, qua est in Christo Iesu.

**A**gnosce Sponsi cælestis speciem, & aduerte dignitatem amoris tui; quia quicquid præter ipsum amaueris, non implebit te, sed fugiet abs te. Fugit omnis gloria terrestrium, & propinatur amantibus eam fel & acetum in nouissimis. Saturitatem nõ habet mundus, neque olei suauitatem. Iesus autem dulcedo ineffabilis, & totus desiderabilis, qui suos consolatione internæ pacis in præsentem frequenter visitat, & in futura vita satietate mirifica adimplebit.